



Leonhardus Fuchsius natus est anno millesimo
 quingentesimo primo in oppido Vuendinga,
 quod in Rhœtia situm est, & ad ditionem principũ
 Bauariæ pertinet, in domo & familia honesta, pa-
 tre Ioanne, ex patre consulari eiusdem nominis pro-
 creato: matre Anna honestissima matrona, singula-
 ri sapientia & morum grauitate prædita, è Dente-
 norum itidem consulari familia orta. patrem amisit
 annos natus uix quinq;. Matrem autem uix annum
 decimum attingens. Anno ætatis suæ septimo in-
 uitus in scholam triuialem tractus est. Nam quum
 die diuo Gregorgio sacro, pro ueteri more, à scho-
 lasticis pueri passim placidè et uolentes deducerentur,
 ipse se eò deduci nõ passus est, donec tandem famula matris medium cor-
 reptum illum recalcitrantem, ac modis omnibus reluctantem, misereq; uoci-
 ferantem ac eiulantem in scholam triuialem delatum, illic cum reliquis pueris
 relinqueret. Ab eo autem tempore animus eius à schola minimè alienus fuit.
 Quanquam, proh Deum, hoc tempore, quo unus in scholis regnabat Ale-
 xander Gallus nominatus, & barbaries foedissima omnes artes contamina-
 rat, & miseris modis defœdarat, adeò sanè ut ineptissimus libellus: Es tu scho-
 laris? non solùm ediscendus, sed etiam deuorandus pueris à præceptoribus
 proponebatur, & multis adhibitis uerberibus ab ñsdem exigebatur. Nam in
 ñs ineptiis Lugimagistri imperitissimi inculcandis & reposcendis orbilio pla-
 giosiores fuerunt.